Stanislai a Jesu Maria: Doctor angelicus in sui Ordinis Varsaviensi Basilica pro rostris laudatus.

DOCTOR ANGELICVS,

In ſui Ordinis Varſauienſi Baſilica

PRO ROSTRIS

LAVDATVS

A

P. STANISLAO à IESV MARIA,
Clericorum Paup: MATRIS DEI
SCHOL: PIARVM
SACERDOTE,

M. DC. LXIV.
Die vij Martij.

VARSAVIÆ
Typis ELERTIANIS.

Ipſe palam faciet diſciplinam do-ctrinæ ſuæ, & in lege teſtamẽti Domini gloriabitur. Collaudabunt multi ſapientiam eius, & vſque in ſæculum non delebitur. *Eccli: 39.*

Admodum R̃do in Chriſto Patri,

P. ALBERTO GRABIECKI,

Sacræ Theologiæ Magiſtro Priori Couuẽtus Varſauienſis, & Vicario Contratæ Mazouiæ Ordinis PRÆDICATORVM, totiq; Congregationi Varſauienſi

FRANCISCVS GRZYBOWSKI

officioſam venerationem

SISTO Tibi, Admodũ R̃de Pater, vniuerſoq; Tuo Conuentui Doctorem Angelicum, eum ipſum, quem facundiæ ſuæ coloribus nuper in frequentiſſimo Veſtro, multorumq; Virorum Eruditiſſimorum conſeſſu ille adumbrauit, cuius ego in Eloquentia Diſcipulum me eſſe profiteor, & glorior. Nolebam enim, vt Vox illa, quæ omnium Auditorum gratiſſima ſonuit in auribus, momentanea tantum eſſet, non æterna. Nolebam, vt Angelici Doctoris, quantacunq; ſit, laus interiret obli-

uionis

uionis sepulta tenebris; proinde hanc in lucem bonâ veniâ Authoris produxi, vt æternùm publico frueretur sole, Soli Theologorum consecrata Oratio. Quâ igitur beneuolentiâ ipsum Oratorem audistis, eadem ipsius Orationem, me procurante ad vestros ab auribus oculos venientem, vt suscipiatis, enixè rogo.

Admodum RR. PP. Vestrarum

Obsequijs addictissimus

FRANCISCVS GRZYBOWSKI
Auditor Eloquentiæ.
C. V.

DOCTOR ANGELICVS

QVanquam vestra me potiùs recreet, Eruditissimi Auditores, quàm conturbet frequentia, multumq; mihi animi accrescat consessū vestrum vt selectissimum ita iucundissimum contuenti; tamen rei pondus, quod precibus eorum, qui rogando suauiter mandant, suscepi, me sic premit, vt, nisi quâdam diuinâ virtute roboratus fuero, parùm absit, quin ei succumbam. Tanta enim est, quod optimè nostis, Angelici Doctoris dignitas, tàm innumerabilis virtutum copia, tàm vastus laudum Oceanus; vt hic omnem Eloquentiæ vim, illa omnes Arithmeticæ calculos, dignitas non solùm vberrimam dictionem, sed quamuis etiam subtilissimam contemplationem excedat. Quodsi ad eius scientiam, sapientiamq; quis accedat, hîc ita se stupore abreptum sentiet, vt, quid primum, aut vltimum, sit laudaturus, ignorare cogatur. Quid igitur mihi faciendum est, aliquid omninò de laudibus nunquam satis laudandi Viri, interq; Diuos sui Ordinis præcipui, dicere conanti? Hoc, quod faciunt nonnulli: qui, cùm solem irretortis oculis aspicere non possunt, manum illis opponunt, vt hac ratione vel aliquam saltem luminis partem intueantur. Hoc ego prorsus modo cùm lucidissimo Doctorum Sole progrediar. Impotens totam illius quà Virtutis quà sapientiæ lucem penetrare, vnicum tantùm radium contemplabor; cum illi ab vniuerso sapientum Senatu concordi omnium voto Angelici Doctoris titulum iure merito esse concessum non exigui momenti rationibus confirmabo. Peto à vobis, Eruditissimi Auditores; vt pro vestra erga communem eruditorum Patronum deuotione, proq; summâ Angelici Doctoris reuerentiâ, me non attentè solùm,

sed

ſed etiam beneuolé, audiatis. Veſtrâ enim beneuolentiâ efficere debetis, vt & ego Prouinciæ ſuſceptæ ſatisfaciam, & vos non niſi contentiſſimi ampliſſimum hunc conſeſſum ſoluatis.

Nemini hoc dubium adferre poteſt, quòd hominum indoles futura in cunis adhuc ſoleat apparere. Qualis quiſque, imò & quis in ætate virili ſit futurus, id infantia prima demonſtrat. Sanè bono ingenio prædita Mater cùm ſuo gremio tenerum fouet infantulum ex certis indicijs facilem inſtituere de Statu illius, actibus, exercitijs, functionibus coniecturam poteſt. Quodſi quædam ad naturæ impetum fuerint adiuncta prodigia, quis tùm hæc ſigna eſſe minimè fallacia certorum euentuum non iudicabit? Etenim quid eliſi ab infante Hercule ſerpentes denotabant, quàm futurum illius robur, quo erat vniuerſum orbem à pernicioſiſſimis monſtris purgaturus? Quid in ore pueruli dormientis Pindari confecta ab apibus mella indicabant, quam mellifluam illius facundiam, quâ huc vſq; ſuam Græciâ nutrit, & oblectat? Quid repertæ in ſinu pueri Marij ſeptem aquilæ deſignabât, quàm ſeptẽ illius cõſulatus, quos non minori cum populi Rom: gloriâ, quàm ſuâ geſſit? Veniamus ad Philippum nemini ſecundum ex Regibus, quà filij magnitudine, quà propriâ Virtute. Impreſſerat is aliquando per ſomnium coniugis Olympiadis vtero ſigillum formâ leonis inſignitum; atq; paulò poſt non vana illum ſomniaſſe probauit euentus, cùm ei Olympias talem fuit enixa filium, qui ſuâ magnanimitate quoſuis leones anteceſſit. Non eſt hîc prætereunda Atia celebris genere mulier, quæ per nocturnam quietem ſenſit olim ſua viſcera per ſublime ferri, & in quæq; terrarum ſpatia diffundi. Miſterium non exiguum ſomnio interfuiſſe nati ex ea Cæſaris Auguſti imperium, victoriæ, triumphi, gloria, demonſtrarunt. Orbis enim totius dominatum, virtute duce, comite fortunâ, aſſecutus, omnes in Romano Imperio ſibi ſuccedentes famâ atq; felicitate ſuperauit. Illud verò propè ridiculum videri poteſt, quod ſpectati nominis ſcriptor, Fulgoſius, de Britanna quadam Plebeij viri coniuge memoriæ poſteriorum tradidit recolendum. Viſa hæc ſibi fuit, cùm clauſis ſomnum

mnum caperet oculis, Lunam peperiſſe, quæ totum Britanniæ Regnum ambiret ſimul, & illuſtraret. Quam ſomnij huius fuiſſe putatis veritatem? Nata fuit ex muliere hac puella, quæ ſucceſſu temporis Aleſtuni Britannorum Regis celeberrimi Parens extitit. Sed nè diutiùs extra ſepta vagemur, quis huic Sanctiſſimæ, apud quam verba facio, Familiæ, Eruditiſſimi Auditores, dedit originem? nonnè is, qui priùſquàm ortus eſſet, in forma Euangelici ſcilicet canis, face, quam ore ferebat, vniuerſum orbem viſus erat Matri ſomnianti illuminare? Cui feliciſſimo ſomnio quàm felix reſpondit euentus, videmus; cùm à Sanctiſſimo Patriarcha Dominico, eiuſque ſequacibus Filijs quaſuis orbis partes ac regiones quà doctrinâ, quà virtutibus, quà miraculis, videmus eſſe illuſtratas. Deſcendamus iam ad maximi Parentis maximum Filium, & aliquã certam rationem inquiramus, quâ luculenter oſtendi poſſit, D. THOMAM Aquinatem in cunis adhuc ſuis Angelicum Doctorem fuiſſe deſignatum. Si fauetis, Eruditiſſimi Auditores, nihil, quàm hoc, faciliùs vobis demonſtrabo. Occurrit enim mihi prodigium vltra naturam aſcendens, non tamen vltra Thomæ virtutem progrediens, in iſtius infantiâ obſeruatum. Quod tametſi omnibus vobis eſſe cognitum non dubito, repetam nihilominùs breuiſſimè, quò meliùs animos veſtros ad id mihi, quod propoſui, concedendum diſponam. Inuoluebat fortè tenellum Puellulum mollibus faſciolis gerula, & videns aliquid chartulæ infantilibus digitis prementem, hanc, vt commodiùs plicatas manus poſſet conſtringere, volebat auferre. Infantulus autem non permittere, reſiſtere, reluctari. Hinc vel ipſis cælitibus iucundiſſimum certamen exortum eſt. Trahebat nutrix chartulam, infans retrahebat; petebat illa, renuebat hic; donec Mater in ſuppetias vocata delicijs ſuis Filiolum ſpoliauit. At victuſnè hac ratione eſt? nequaquam. Tamdiù fortiſſimo planctu maternum feriebat pectus, tàmdiù amaris lachrymulis rubentes genas conſpergebat; quamdiù præda illa ablata non reſtituebatur. Victa ergo Filioli ploratu genitrix, & inauditâ chartulæ repetendæ conſtantiâ in admirationem rapta, vbi in hac

hac ſcriptam eſſe Archangeli ad MARIAM ſalutationem perlegit, pietate ſingulari perfuſa Infantulo tradidit eiulanti. Viciſti, paruule Hercules, viciſti; ſed vbi redditam abſcondes prædam, quâ potes iterum ſpoliari? Inſidâ nutrix eſt, tametſi pia mater; quod hæc reſtituit, illa rapiet ampliùs non reddituta. Inuenit ſapiens Infans pro ſuo Theſauro ſuum Scriniolum. Deglutit aurea verba, & in cordis arcano ſinu concludit. Hîc mihi iàm prodigioſam rem explicare liceat, Eruditiſſimi Auditores. Et tangam fortaſſis hanc acu, ſi dixero, niueum chartulæ illius candorem atris diſtinctum notis non aliud, quàm huius Sanctiſſimæ Familiæ, cui poſtea nomen daturus erat, religioſum habitum, quo fuerat induendus, ſignificaſſe. Verumtamen Angelicæ Salutationis verba plùs miſterij, quàm tùm cogitari poterat, vel diuinari, continebant. Denotabant nimirum, Angelicum fore aliquando Doctorem eum, qui Infans nondùm mandere ſciens Angeli Salutationem miſterijs plenam deglutiſſet. Quâ probas id, dicet aliquis, ratione? Sacrarum literarum auctoritate. Decreuerat æterna mens Ezechielem futurorum ſcientiâ implere, non tamen eam homini deuoto ſupernaturaliter infudit; ſed quodammodò Naturæ ſe ſe accommodans volumen illi obtulit deuorandum, vt hoc vatis viſcera, ſcientiâ caput, replerentur. Fecit, quod erat iuſſus Ezechiel, ſumptoq; & abſũpto volumine, multas, præclaras, & admirandas res Propheticâ voce enunciauit. Redite nunc ad D. Aquinatem, Eruditiſſimi Auditores; & negate, ſi tamen poteſtis, eum tunc, cum Archangeli Salutationem deuoraſſet, Angelicum Doctorem fuiſſe inauguratum. Pro me diuini codicis pugnat authoritas, pugnat ſaltem non improbabilis opinio, pugnat ratio euidentiſſima. Quæ, nè fortè magis ingenioſa, quàm fortis eſſe videatur, adducam alia in ſubſidium argumenta, quibus, vti incæpi, Angelici Doctoris titulum Soli Theologorum confirmabo. Primùm ad ſe rapit Angelica Virtus orationem, quâ tantùm excelluit, vt Angelus corpore veſtitus non immeritò dici poſſet. Palumbes olim, auis continentiſſima, apud veteres ſymbolum Caſtitatis erat. Hanc etiam pictæ apes apud

eoſdem

eoſdem repræſentabant, quas omninò hoc fine ſapientes Poëtæ Virgineas volucres appellauerunt. Si verò quiſpiam Chriſtianorum caſtimoniam, vero, & genuino ſymbolo adumbrare vellet, id profectò aptiùs, & conueniẽtiùs non faceret, quàm ſi D. THOMAM alatum depingi curaret. *Omnes enim, quotquot diligentiſſimi cuſtodes illibatæ Virginitatis exiſtunt, omnes inquam terreſtres Angeli non ſolâ tantum appellatione, ſed ipſa re ſunt.* Sicut autem inter Angelos magnæ differẽtiæ reperiuntur, ſic inter homines dote caſtitatis inſignitos. Nam ex his naturâ alij caſti ſunt, voto alij, aut propoſito. Illi inter omnes laude maximâ eminent, qui ſupremo Numini conſecratum puri animi lilium tàm inuiolatum ſeruare ſatagunt, vt duriſſimas quaſq; pugnas diriſſimaſque neces malint ſubire, quàm diuiniſſimi floris odorem vel minimo ſtygij Boreæ flatu, non dicam diſijci, ſed attingi. Talem fuiſſe D. Aquinatem is tantùm ignorare poteſt, qui, qualia pro tuenda caſtitate certamina peregerit, ignorat. Oppugnabat Mater caſtiſſimum Iuuenis integerrimi animum; reſtitit: oppugnabant fratres hîc vel maximè animoſi milites; non ceſſit: oppugnabant ſorores blandis rationibus, quòd armis nequirent; vt rupes immota ſtetit. Tandem vltimò expedita ad pugnam lupa venerat, armata venuſtiore formâ, cultiore mundo, ſuauiore facundiâ; totam deniq; ſtygem ſecum trahens ad ſubſidium. Quid hîc egit Chriſtianus Athleta? Succubuit fortaſſe tot hoſtibus oppugnatus? minimè. Prædam tartareis apris, lilium cordis, conceſſit? nullo modo. Cohorruit ſaltem pauidus ad orci ſuppetias, aut vacillauit ad lenocinia fæminæ Syrenis? Imò verò ſe ipſo Maior inflãmatã Venerem flãmis aggreſſus, priùſquàm illius ſenſiſſet flãmas, expugnauit, fugauit, vicit. Sileat hîc ætas vetuſta, nec ãplius plenis buccis, ſonoriſq; buccinis ſuum Melanionem prædicet. Caſtus ille vt eſſe poſſet, hominũ conſortium auerſatus in nemora ſeceſſit; ſed quæ ſine hoſte Victoria? quæ ſine victoria laus? Noſter Melanion inter homines feris magis feros & integrum animum ab impura labe conſeruauit, & celeberrimum triumphum de ipſa Venere reportauit.

 tauit.

tauit. Non ampliùs efferat vltra Sydera suum Scipionem Roma, quòd oblatam insignis formæ puellam animi continentior repudiauit. Facile hoc potuit Romanus Imperator, cùm non oppugnaretur. At noster Scipio, puritatis amantissimus, nec formæ cessit miraculo affini, nec toti Stygiæ vi palmam in Virtutis arena concessit. Non glorietur Alexandro suo Macedonia, quòd celebriorem de se ipso Victoriam, quàm de Dario retulit, cùm nullam ex captiuis mulieribus, tametsi Regiæ fuerint & egregiæ, insolenter attigit. Semel hoc Alexander ille præstitit, non semper. At noster Angelus, quouis Alexandro constantior, perpetuùm sui victor extitit; nunquam corruptus, nunquã inquinatus. An igitur ipsi nomen Angelici Doctoris non approbabimus, qui & Angelicam Virtutem sic Deo vouit, vt retineret; sic defendit, vt vinceret; & omnibus hac in arena dimicantibus eam profligandi hostis artem tradidit, quâ solâ ille profligari potest? Docuit nempè ignes ignibus vincere: docuit nihil magis, quàm flammas, timere Venerem: docuit in tuenda castimonia constantiâ opus esse, constantiam hîc solam diademate redimiri. Quare cùm illi tanquam Angelico luctatori baltheum Cælites obtulerunt, quo castos post pugnam quiescentis lumbos præcinxerunt; meritò & nos tanquam Angelicæ Virtutis propugnatori, & omnium hanc colere studentium informatori, Angelici Doctoris lauream iure esse impositam fatebimur. Progrediamur à Virtute ad Sapientiam, à Castimonia ad Doctrinam: quæ cùm omninò Angelica sit, Angelicum fecit Doctorem nostrum. Verùm, nè tantùm hoc dicamus, sed etiam probemus; quod in hanc rem argumenti affero, obsecro, vt illud, quâ incæpistis humanitate, percipiatis. Omne ego illud, Eruditissimi Auditores, opus esse Angelicum opinor, quodcunque naturæ ordinem, aut vires excedit, ac propterea miraculosum appellatur. Miramur ad preces bellicosi Ducis Iosue Solem suum cursum stitisse? Stitit hunc Angelus. Miramur trium dierum spatio in pænam Regiæ præsumptionis septuaginta millia Subditorum Dauidis fuisse perempta? Peremit Angelus. Mira-

Miramur supra centum octoginta quinq; millia in castris Assyriorum vnius decursu noctis fuisse cæsa? cecîdit Angelus. Quis deindè iuniorem Thobiam ab immanis piscis deuoratione saluauit? Angelus. Quis eundem à crudelissimo orci satellite seruauit illæsum? Angelus. Quis illius Patri lumen oculorum restituit? Angelus. Neq; verò terribilis ille sessor, qui diuini inuasorem thesauri Heliodorum terræ allisit, alius quispiam fuit; præter Angelum: illi quoq; duo Iuuenes, qui sacrilego raptori manus iniecerant, & sufficientes plagas inflixerant, non alij fuisse putandi sunt; quám Angeli. Quid plura memorem? & diei lux, & vox linguæ me citiùs deficeret, quàm istius rei vel testimonia, vel exempla recenserem. Verbo dico, Angelica esse opera omnia, quæ miraculosa; miraculosa esse, quæ Angelica sunt. Atq; hinc, si D. THOMÆ doctrinam esse Angelicam velimus demonstrare, illud tantum nobis probandum restat, *quòd ea Miraculosa sit.* Et sanè est. Nam præter id, quòd eam vltra omnes humanæ diligentiæ vires acquisiuerit, hoc in ea maximè admirandum est, quòd ab vniuersis Doctoribus, Academijs, Concilijs, à tota demum Orthodoxâ Ecclesiâ probetur, ametur, colatur. Illicium quoddam Marci Tullij lingua habuisse putatur, quâ semper in suam sententiam cùm Patres conscriptos, tùm equites plebemq; Romanam pertrahebat. Istiusmodi est D. Aquinatis doctrina, quam omnes Theologorum Scholæ, omnes Doctorum exedræ, si non passim sequuntur, saltem admirantur, stupent, venerantur. Atq; sicut olim ad Delphici Apollinis oraculum totus orbis confluebat futura scitaturus, & tàm euentus causarum, quàm causas euentuum indagaturus; sic & paulò ante elapsis, & modernis temporibus, vniuersa Christianitas istius sapientissimi Theologorum Phæbi, quasi templum quoddam sapientiæ, mirabili refertos doctrinâ libros accedit; in quibus quot legit conclusiones, tot oracula; quot sententias, tot responsa. Hac de ipsa re non minùs eloquentissimus, quàm eruditissimus scriptorum oculus, luculentissimum exhibens testimonium: THOMÆ, inquit, *sapientia* adeò

 illu-

illuſtris, ſubtilis, atq; diuina ; vt eam ingenia quamuis magna, quamuis acuta, quamuis felicia, mirentur, & obſtupeſcant. Nihil eſt in omni Theologia adeò arduum, nihil in Philoſophia, tàm difficile, implicitumq; ; quòd ille non explicet: nihil adeò obſcurum, quod non ille declaret: nihil adeò reconditum inuolutumq; quod non eruat, & euoluat, & quidem methodo adeò Laconica, vt totidem videantur eſſe ſententiæ, quot verba; breuibuſq; periodis rem comprehendit omnem, ſuper quâ cæteri Doctorum ingentia volumina condidere. Illius porrò doctrinæ claritas, diſtinctio, diſpoſitio, atq; connexio rerum adeò mirabilis eſt, vt corporeæ lucis inſtar eius doctrina non niſi lux eſſe videatur. Pergit vltra, vnicorniq; ſanctiſſimum Doctorem conferens: *Simul*, ait, *vnicornis* aquas ſuo cornu ſanat, cætera mox animalia veneni ſecura bibunt: ita quiſquis è Sancti THOMÆ libris tanquam ſapientiæ fontibus potat, non eſt quòd vllũ virus erroris metuat. Quin & hæc ipſa Sapientiæ aqua, non tantùmmodò limpida, perſpicua, defæcata, pura, bibentibuſq; ſalutifera eſt; ſed etiam aduerſus omne Virus Hæreſeos medicina. Cuius rei rationem afferens: *Omnis* namq; Hæreſis, inquit, vel ab hoc Sancto Doctore refutata fuit expreſſè, vel principijs fundamentiſq; irrefragabilibus ab eo relictis facilè poſſit refelli. Hoc ergo fortaſſe diuinabat magni huius Doctoris magnus Magiſter Albertus, cùm eum iſtiuſmodi bouem eſſe diceret, cuius mugitum totus aliquando orbis eſſet auditurus. Quanquam appellâſſet rectiùs Oceanum ſcientiæ, ex quo tot flumina fonteſq; erumpentes ſanctam Dei Eccleſiam paſſim ſaluberrimis & vberrimis documentis fæcundarent; totq; Philoſophorum ac Theologorum irrigarent ingenia, vt vix cogitari queat, an aliquis doctrinam ſuam vel non ex Diui THOMÆ fluentis promanare, vel non eius totam eſſe fateatur. Hoc ex Oceano ingentia illa Soariana flumina, ſuauiſſimi illi Opatouiani latices, dulciſſimæ illæ Philippi Gamachæi aquæ ortum traxerunt. Hoc ex Oceano quidquid vbiq; & purioris, & ſanioris doctrinæ, tanquam lymphæ contemplamur, & delibamus, fluxiſſe

xiſſe concedamus neceſſe eſt. Sed parùm & ego dixi, cùm ſapientiſſimum Doctorem Oceanum ſcientiæ appellaui. Tuba eſt hic, tuba illa Archangelica, admirabilis, efficax, tremenda. Nam quemadmodum ad fatalis illius tubæ vocem inaudito miraculo tàm ex ſtygia palude, quàm ex piacularibus flammis, cæleſtibuſque domicilijs hominum omnium animæ progredientes in momento corporibus veſtientur ſuis, & diuino Tribunali ſiſtentur; ita ad vocem Angelici Doctoris noſtri, totus excitatus, & excitus orbis implet diuerſa lectoria, ſalutariq; doctrinâ illius reformatus nouum aſſumit hominem, & per pium examen iudicium Numinis accedens inquirit in ſua ſponte delicta, ſpontaneâ ſe mulctat pœnâ, & tandem Angelus ex homine, Angelico Doctore cooperante, figuratur. Nimium, credo, Eruditiſſimi Auditores, in hac parte probanda temporis conſumpſi; videorq; mihi Veſtram læſiſſe beneuolentiam, exacerbaſſe humanitatem. Quare propero ad finem, illud tantùm pro cauſa firmiùs roboranda adijciens, quod Romanum oraculum de Aquinatis doctrinâ pronunciauit. Erat is Ioannes eius nominis viceſimus ſecundus Romanus Pontifex, qui cùm Diuum hunc in album Diuorum referret, nullis opus eſſe, aiebat, ad eius ſanctimoniam confirmandam miraculis, quandoquidem tot per eum ſint patrata miracula, quot formata erothemata. Si igitur tàm admiranda eſt illius doctrina, vt ſingulæ quæſtiones, ſingula dicantur eſſe prodigia, quis tandem eam neget eſſe Angelicam, atq; hac ſimul de causâ meritò Angelici Doctoris titulo D. Aquinatem non adornet? Mihi ſanè rem profundiùs inſpicienti nimis exiguum videtur eſſe præmium tantæ Virtutis, tãtæq; Sapientiæ, titulus expoſitus, & confirmatus. Quamobrem pro ſupplemento noſtræ tenuitatis, appellemus Diuum hunc ex multorũ ſententia Thelogiæ florem, Philoſophiæ decus, Scientiarum ornamentum: appellemus Ingeniorum delicium, Religionis ſacrarium, Eccleſiæ fulcrum, Catholicæ fidei ſcutum: appellemus Hæreticorum malleum, Scholarum lucem, Theodidacton, qui biberit ex ipſo fonte diuinitatis: appellemus inſigne cande-

candelabrum, Accensam facem; Virtutis, Sanctimoniæ, Scientiæq; Iubar: appellemus Stellam splendidissimam, Vnionem nobilissimum, Thesaurum omnigenæ sapientiæ, Doctorum sanctissimum, doctissimum Sanctorum. Et tamen, cùm eum sic extulerimus, cùm tot tàmq; præclaris elogijs decorauerimus, adeò nihil æquale illi⁹ Virtuti ac Sapientiæ diximus; vt mihi seriò venia à vobis, Eruditissimi Auditores, petenda sit, quòd in lectissimo vestro sapientissimoq; consessu ad eum laudãdum me resoluerim, qui non nisi à quopiam Doctore vel Oratore Angelico dignè laudari possit.

DIXI.

Angelicus meritò Doctor clamatur Aquinas,
Angelicum illius viuere, sciréq; erat.
Angelicæ Virtutis amansq; tenaxq; probatur;
Angelicam purâ mente colebat Heram.
Angelicos mores habuit, caput, Angelicumq;
Cor; meritò Doctor, dicitur Angelicus.

F. G.

Imprimatur.

MATTHÆVS IAGODOWICZ I. V. D. Protho-Notarius Apostolicus, Ecclesiæ Cathedralis Płocensis & Collegiatarum Varsauien: ac Pułtouien: Canonicus, Vicarius in Spiritualibus, & Officialis Generalis Ducatus Masouiæ, Diœcesis Posnaniensis; Sacrarum Regiæ Reginalisque Maiestatum Secretarius.